SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

DIVINA PROVIDENTIA

GREGORII PAPAE XVI.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS

NONNULLA DE EQUESTRI AURATAE MILITIAE ORDINE DECERNUNTUR.

GREGORIUS PAPA XVI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum hominum mentes, animique nulla re magis ad virtutem omni studio sequendam, et praeclara quaeque facinora suscipienda, atque obeunda excitari, et inflammari soleant, quam religionis impulsu, gloriae stimulis, ac laudis, honorisque praemiis, tum Romani Pontifices de christianae, et civilis reipublicae bono, ac felicitate vehementer solliciti, provido sane, sapientique consilio hominibus ad pietatem, omnemque virtutem concitandis Equestres Ordines vel instituere, vel institutos suprema eorum auctoritate confirmare, illosque pristinae celebritati reddere, atque amplissimis etiam privilegiis decorare consueverunt. Decet enim quam maxime eum, qui in sublimi Principis Apostolorum cathedra divino consilio est collocatus, omnem suam operam impendere, ut homines meritis quoque laudibus, et honoribus acrius incensi, atque permoti religionem praesertim, pietatem, justitiam, omnesque virtutes excolant, exerceant, ac litteris, disciplinis, et liberalibus artibus optimam navent operam, easque res gerere summopere conentur, quae catholicae religioni, et civili societati magno argumento, usui, ac praesidio esse possint. Nemo certe ignorat, illustres

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

inter Equestres Ordines illum Auratae Militiae, et originis vetustate, et suae institutionis ratione, et honoris causa in primis fulgere. Namque opinio a pluribus non mediocris auctoritatis scriptoribus confirmata invaluit, a Constantino Magno ob insigne illud prodigium, quo salutiferae Crucis signum splendidissima undique luce coruscans in caelo conspexit, ac miram illam victoriam, qua de scelestissimo tyranno Maxentio gloriose magnificeque triumphavit, eumque Ordinem originem habuisse, atque a sancto Silvestro Decessore Nostro approbatum fuisse, ejusque Ordinis insignibus Constantinum ipsum ab illo beatissimo Pontifice esse decoratum. Hinc porro evenit, ut priscis potissimum temporibus idem Equester Ordo a Romanis Pontificibus, summisque Principibus magno semper honore habitus fuerit, ejusque insignia praeclarissimis viris de christiana praecipue religione optime meritis ab ipsis Romanis Pontificibus concessa atque tributa. Cum autem rerum humanarum, ac temporum vicissitudine insignem hunc Ordinem de veteri dignitatis splendore, atque existimationis gradu collapsum esse noscamus, Nos aliorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum vestigia sectantes, illum ad pristinum decus revocare, ac majore etiam honore augere statuimus. Et quidem cum in hunc Ordinem ii tantum viri sint cooptandi, qui praeter spectatam honestatem, probitatemque, vel catholicae religionis studio flagrantes, vel humaniorum litterarum, ac severiorum disciplinarum scientia, vel liberalium artium peritia praestantes, vel sacra, civilia, ac militaria munera caste integreque obeuntes, generoso quodam nisu, conatuque contendunt, ut egregiis factis de re catholica, et civili, deque Apostolica Sede optime mereantur, vel maxime opportunum ducimus ejus Ordinis splendori, quantum in Nobis est, consulere, atque prospicere, ut homines eximiis illis dotibus exornati dignum propriae virtutis praemium obtineant, eorumque voluntates magis magisque ad illustria quaeque ferantur. Itaque hisce Litteris auctoritate Nostra Apostolica perpetuum in modum statuimus, et volumus, ut posthac idem Ordo antiquum Auratae Militiae nomen retinens duabus classibus Commendatorum nempe, et Equitum constet, qui omnes torquem aureum, et ensem, et aurata calcaria gerent, illisque omnibus juribus, indultis fruentur, quibus ejusdem Ordinis Equites adhuc potiti sunt, citra tamen facultates a Concilio Tridentino sublatas. Mandamus vero, ut Crucem auream ex modo, et forma a rec. mem. Benedicto XIV Praedecessore

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nostro praescripta in suis similibus Apostolicis litteris die VII septembris anno MDCCXLVI hac super re datis gestent, ita tamen, ut Crux ipsa in nosterum taenia serica rubro, nigroque distincta colore, atque extremis oris rubris erit sustinenda, quae albâ superficie imaginem S. Silvestri Pontificis in medio referat. Verum ut inter Commendatores et equites debita adsit distinctio, praecipimus ut Commendatores magnam hujusmodi Crucem gerant, quae a descripta fascia collo inserta pendeat, Equites vero Crucem parvam ex communi Equitum more in parte vestis sinistra ad pectus eâdem taenia apponant. Ad quodcumque autem amovendum discrimem, quod in hoc gestando insigne contingere posset, utriusque Crucis schema typis excudi jussimus novis quibusque Equitibus cum Diplomate tradendum. Et quoniam honoris, ac dignitatis gradus eo magis refulget, quo minor est illorum numerus, quibus confertur, eâdem Auctoritate Nostra edicimus, atque mandamus, ut Equites Commendatores numerum centum quinquaginta non praetergrediantur, Equites vero tercenti tantum esse debeant. Quem quidem utriusque classis numerum pro iis solummodo viris, qui civili Apostolicae Sedis Principatui subsunt, praescriptum volumus, nam ad Nostrum, et Successorum Nostrorum arbitrium semper pertinebit homines etiam exterarum gentium in cujusque classis coetum, praeter hunc numerum, adlegere. Insuper et hujus Ordinis ratio perpetuo vigeat, et nullo umquam tempore immutari queat, mandamus, ut summus ab Actis Aurata Militiae Ordinis, seu, ut dicitur, magnus Cancellarius sit S. R. E. Cardinalis a Brevibus Apostolicis Litteris, penes quem Equitum nomina, gradus, admissionis dies, et numerus diligentissime servetur.

Jam vero cum minime ignoremus, quam plurimos anteactis temporibus in hunc Ordinem adlectos fuisse, ad ejusdem Ordinis decus tuendum, decernimus, illos dumtaxat veluti Equites hujus Ordinis haberi debere; qui per similes Pontificias Litteras in illum cooptati fuere, quique antiqua tantummodo insignia gerere poterunt. Etenim reliquos omnes in eumdem Ordinem alia quavis ratione adscitos ad ipsum Ordinem posthac nullo modo pertinere declaramus, ac propterea a quovis privilegio gestandi etiam antiqua Ordinis insignia decidisse decernimus. Denique ut hoc futurisque temporibus nemini ad hujusmodi honorem pateat aditus, nisi iis tantum, qui eumdem honorem per similes Apostolicas Litteras sunt consequuturi, eadem plena au-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ctoritate Nostra Apostolica harum Litterarum vi, omnibus, et singulis cujusque ordinis, gradus, et conditionis privilegium concedendi hunc Ordinem penitus auferimus, etiamsi privilegium ipsum a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris per Apostolicas Litteras, et peculiares Constitutiones obtinuerint, atque idcirco Apostolicis Litteris fel. rec. Pauli III Decessoris Nostri privilegium idem respicientibus, ac die XIV Aprilis anno MDXXXIX sub plumbo datis, atque a rec. mem. Julio III, Gregorio XIII, et Sixto V Praedecessoribus item Nostris denuo, ut asseritur, confirmatis, et aliis quibusque omni ex parte, ejus rei ergo, expresse derogamus, illasque in posterum nullius roboris esse decernimus, atque jubemus. Ut autem certe illi omnes cognosci possint, qui hujusmodi honorem per similes Pontificias Litteras jam sunt consequuti, volumus, ut intra octo menses, qui Romae morantur eorum Pontificium diploma S. R. E. Cardinali a Nostris Brevibus exhibere, qui vero in Pontificia Nostra ditione sunt, illud proprio Antistiti, seu Ordinario ostendere teneantur. In eam profecto spem erigimur fore, ut nova haec Auratae Militiae instauratio, atque honoris accessio optatum exitum consequatur, utque omnes, qui Apostolicis Litteris in ipsum Ordinem jam adlecti fuerunt, vel in posterum erunt adlegendi Nostris votis quam cumulatissime respondeant, ac nihil inausum, nihilque intentatum relinquant, quo de orthodoxa fide, de Petri Cathedra, deque civili republica quibusque praeclaris rebus summopere merere nitantur. Haec statuimus, volumus, atque mandamus, praecipimus, et jubemus, decernentes has praesentes litteras, resque omnes in eis expressas semper, ac perpetuo validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri debere, atque ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit inviolabiliter observari, dictisque in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Judices, Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuntios, et S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus commemoratis Apostolicis litteris rec. mem. Benedicti XIV de ejusdem Ordinis Cruce editis, et Pauli III Praedecessorum Nostrorum de privile-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

gio concedendi illum Ordinem datis, atque a Julio III, Gregorio XIII, et Sixto V Decessoribus pariter Nostris quovis modo approbatis, nec non Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, ac aliis apostolicis, atque in universalibus, provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, et quoties opus fuerit ejusdem Equestris Militiae Auratae Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, aliisque etiam expressa et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXXI Octobris MDCCCXLI Pontificatus Nostri anno undecimo.

A. Card. Lambruschini.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf